

## Coniectvra Critica De Imrat Indeqve Pendente Sensv Psalm. XVI. 2. 3. 4.

Vittembergae: Ex Officina Schlomachiana, [1729?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn871522632>

Druck Freier  Zugang





48

49. els.


Fa - 1092 (48.)


1. Joach. Justus Nau de certitudine interpretationis sacrarum literarum. Region 1737.
2. Jon. Conr. Schramm de Veritate Biblicorum veritatis Helmsf. 1737.
3. Christi. Bernh. Reichert Observationes critico-philologicae in Gen. 1.
4. 1. Witteb. 1716. Euae ex Adam costae aedificatione ad Gen. 11, 22.
4. Sam. Asteri de Noach. 1674.
5. Jo. Fromm de Cherubim et gladio flammarum. ad Gen. 11, 22.
6. Jo. Reinh. Bernholdus de protueangelio Paradiseo ad Gen. 11, 22. Götting. 1737.
7. Jo. Frederici Cottae observationes ad Gen. 11, 22. Götting. 1737.
8. Christo. Wegleiter de serpente seductore ad Gen. 11, 1, 2.
9. Franc. Fabricius de impositione nominis Sethi ad Gen. 11, 25. Lugd. Bat. 1712.
10. Jo. Guil. Naigerus de odore vestium Isaac ad Gen. XXII.
11. Jo. Christian Altmann de Messia in visione Jacobo ad Gen. XXII, 12. Joh. 1, 51. Helmsf. 1720.
12. Jo. Friedr. Naigerus de admirabili Jacobo cum duobus fratribus coniuncto ad Gen. XXII, 12. Lips. 1674.
13. Friedr. Christi Gesser de iuramento Iosephi per vitam Marconi ad Gen. XXII, 15, 16. Region 1731.
14. Jo. Brickmüller proderunt de vaticiniis Jacobaeo ad Gen. XXII, 15, 16. Ten. 1651.
15. Jon. Conr. Schramm de hisopis paschali ad Gen. XXII, 22. Jf. Lig. Joh. XXII, 29. Helmsf. 1735.

16. Jo. Seb. Dentraus de judaeorum veterum factationibus religio-  
sis ad Levit. XI, 20. xxxii. b. 19. Lips. 1798.
17. Jo. Geo. Michaelis de duabus auctoritatibus purgationi  
Kir earumque mysterio ad Levit XIV, 1-8 Hal. 1797.
18. Jo. Christo. Wichmannshausen de corpore fidei et figuris non  
cruentatis ad Levit. XXX, 28. Wittenb. 1793.
19. Jo. Geor. Abichtius de seniorum Hebraeorum acquisitione  
et antiquo servitio ad Levit. XXX, 29, Exod XXXII,  
3 Jgg Math. III, II. Joh. XIII, 4. Lips. 1702.
20. Petr. Zornius de manipulo primitiarum ex messe hordei  
ad Levit XXIII, 10, I Cor XV, 20. Col. I, 17. Ed. 1700.
21. Christ. Kortholtus de Virga Aaronis florida ad  
Num XVII, 1. Kil. 1672.
22. Jo. Mainus de virga Aaronis florida ad Num XVII,  
1. Wittenb. 1680.
23. Abrah. Calovius de conversione Judaeorum ad Deut. IV,  
30. Hof XIII, 4. 5. Rhod XII, 25. Apocalyps. XIX,  
6-10. Wittenb. 1679. reuss. 1701.
24. Jo. Wich. Hillegerus de vestimento cultus Israelitarum inde  
servato ad Deut VIII, 4. xxix. 5. Neh. IX, 25. Wittenb. 1676.
25. Christo. Schöneich de verbis Moysi Deuter. xxix, 29. Rg.  
1721.
26. Jo. Geor. Abichtius de cultu faciei ad Jos V, 2. Lips. 1712.
27. Em. Friedr. Cobius de Sarcota ad Jos. XIX, 29. Wittenb.  
1720. rec. Kelmsl.
28. Anst. Dan. Habichtshofius de actura Gideon ad Jos VI, 24. Hoff. 1697.
29. Jo. Frischmuthus de designatione Samsonis ad Jud. XIV, 14. Jen. 1682.
30. Jo. Adr. Schmidius de regina Asuri ad I Reg. X, 1. Hag.  
Jen. 1693.

31. Jo. Trischmannus de Reine Prophetie nomine et prophetia  
Reg. XVII. 1. 1. Gen. 1609.
32. Val. Heerli de Schw Relo. ad 2. Reg. X, Lij. 1605.
33. Jo. Geo. Abichtius de Goete Jobi ad Jobi XIX, 25. 26. 27. Lij. 1605.
34. Jo. Andr. Siegmund de formula 417. 792-49 de Goete  
informat ad Job. XIX, 25. Lij. Dind. 1707.
35. Franc Wolkenius de 51728. in quo pendente fessis ad  
Pf. XVI, 2. 3. 4. Witel 1729.
36. Jo. Trischmannus de Messia in sepulchro non relinquendo  
nullaque corruptioni obnoxio ad Pf. XVI, 10. Gen. 1608.
37. Jo. Trischmannus de manuum pedumque Messias in eundem  
crucifixione perforatione ad Pf. XVI, 17. Gen. 1608.
38. Seb. Schmidius de rektione Messias ad Pf. XVI, 8. Lij. 1690.  
reinf. Witel 1738.
39. Jo. Leonh. Reckenberger de specie domus ad Pf. XVI, 14.  
15. Gen 1737.
40. Jo. Deutschmannus de Christi hominis ad dextram sedis  
ad Pf. CX, 1. Witel 1662.
41. Mich. Boccini de Ornamento fessis ad Pf. CXVIII, 27.  
Witel 1677.
42. Programma de numine Iffredis tutelari ad Pf. CXI,  
Helmst. 1732.
43. Jo. Christi. Hebenstreit de paxe super aquas mittendo. ad  
Lohel. XVI. Lij. 1737.
44. Jon. Cor. Schramm de prophetis posterioribus Helmst.  
1734.
45. Jo. Christ. Ortlof de aurora verbi divini non fessis  
ad Pf. VIII. 20. Lij. 1715.

46. Jo. Frischmuth prophagographia Messiae ad Jes. IX. 6. 44.  
Jer. 1684.
47. Andr. Daniel Habichtshorstius de Domino super nube Levi equi.  
tante et Aegyptum intrante. ad Jes. XI. 1. Rost. 1689.
48. Jo. Andr. Darius de Judaeis proprio gladio jugulatis ad Jes.  
LIII. Witeb. 1679.
49. Christo. Sontagius de novissimorum novissimo ad Jes. LXIV. 2.  
(Cor. II. 9. et Act. 1697.
50. Jo. Friedr. Siebitz meditatio, quae meditationem applicacionem  
Heumannii ad Jes. XXXIII. 27. examinal. Hal. 1777.
51. Jon. Conr. Schramm de caetis regni Christi in his  
terris ad Dan. VII. 19. 14. 9. 10. Helmsf. 1774.
52. Erndol. Friedr. Neubauer de Michaele Messia et  
ipso Judaeorum sestimo comprobato ad  
Dan. XII. 1. Jud. v. 9. Apocalyp. XII. 7.  
Giesf. 1732.
53. Jon. Conr. Schramm novissimum prophetarum de novissimis  
voluntatum ad Dan. XII. 2. Helmsf. 1774.
54. Jo. Christo. Wesfius de juuencis labiorum ad Rog. XIV. 3.  
Witeb. 1711.
55. Jo. Friedr. Magerus de poenitentia bestiarum Virginitate  
ad Jon. III. 7. 8. Lips. 1670.
56. Mich. Procius de Rabbinis templum tercium tingentibus  
ad Hag. II. 7. Witeb. 1677.
57. Jo. Andr. Quenstedt de desiderio omnium gentium ad  
Hag. II. 8. Witeb. 1688.
58. Sam. Leemannus de confessione pauperum ad Ezech. VI. 12. 1.  
13. Wern. 1705.
59. Jo. Johsi. Neunhertzi ogem. philol. in Nachh. II. 15. 16. Leipzig 1777.
60. Jon. Conr. Schramm programma, quo defensio quedam  
Septuaginta Worthheimianis expens ad Helmsf. 1777.





47. 35.  
CONIECTVRA CRITICA  
DE

תנחומ

INDEQVE PENDENTE SENSV

PSALM. XVI. 2. 3. 4.

QVAM

SVB PRAESIDIO

FRANCISCI WOKENII,

S. THEOLOG. LICENT. VT ET HE-  
BRAEAE ALIARVMQVE ORIENT. LIN-  
GVARVM PROF. PVBL. ORD.

D. XVI. IVLII A. MDCCXXIX.

IN AVDITORIO MAIORI

HORIS CONSVETIS

AEQVO PHILOGORVM IVDICIO

EXPONIT

IO. CHRISTIANVS SCHLEPPAX,

PHILOS. ET THEOL. CVLT.  
FREIBERGA-MISN.

VITTEMBERGAE

EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.





הי

De

חמרת

PSALM. XVI. 2.

ET INDE DEPENDENTE SENSU

v. 2. 3. 4.

I.

**N**E quis sibi, nescio quid, de opinione in h. l. mea ima-  
ginetur, in ipso statim limine sententiae meae sum-  
mam proponam, certisque assertis eandem inclu-  
dam. I. *Corde & ore fateor & certissimum judico, Psal-  
mum hunc de Christo agere.* Extra dubium me ponit, duplex hu-  
jus Psalmi citatio in Nov. Test. facta. *Primam* nobis suggerit Pe-  
trus in concione sua Pentecostali *ACT. II. 25. 26. 27. 28. 31.* ubi Psal-  
mi nostri versus quatuor posteriores citat, & de Christo exponit.  
Convincit nos *pariter* Paulus *ACT. XIII. 35.* quando *v. 36.* ad ocu-  
lum demonstrat, Psalmum hunc de Davide exponi non posse,  
cum ille viderit corruptionem, Christus vero a morte resurgens  
is sit, qui eam non viderit. Imo quamdiu Regula illa, *talia sunt  
subjecta, qualia permittuntur esse a suis Prædicatis,* suum habe-  
bit usum; tamdiu collatio Prædicatorum animos capiet, ut de  
Messia Psalmum exponant. Nolo afferre, quod versiones hujus  
Psalmi *STRICA & ARABICA* titulum Psalmi expresse constitu-  
ant, de Christi resurrectione & Ecclesia. *STRVS* quidem habet hæc:

וְיִשְׁמַחַתְּ בַּיְהוָה אֱלֹהֶיךָ יְהוָה אֱלֹהֵינוּ  
א

in G.

i. e. electio Ecclesie & resurrectio Christi, v. 23. ARABS vero: غير لختيار البيعة وقيامه لا يسبح كذا بين علي العون كج استويحي  
 i. e. In eo agitur de electione Ecclesie & resurrectione Christi: scriptura de fœdere v. 23. Quia enim hæ versiones sunt recentiores, robur probandi habent exiguum. Testimoniis quoque hominum non indigemus, ubi Spiritus S. habemus duplex, imo multiplex, testimonium. Alias de Christo exponunt ORIGENES, ATHANASIUS aliique Græci Patres, quos vide in CORDERII Catena Patr. Gr. b. l. p. 264. & sqq., qui ipse tamen CORDERIUS l. c. p. 278. b. pessime Spiritui S., quem de Christo exposuisse fatetur, expositionem Ecclesie opponit, cum scribit: Addo & communi Ecclesie voce eundem ipsum Psalmum, ut proprium, addici hominibus saceris, cum piam illam & solennem obtestationem contineat: Dominus pars hereditatis meæ, quod aureum signaculum est initiatorum. Si literaliter de religiosis agi hic putat, contemptui se exponit; si per applicationem ad eos applicari tantum, dicere voluit: videat, quo id fiat jure, & verba emendet, quæ ipsis hunc Psalmum ut proprium, repugnante Spiritu S., tribuunt.

II. Secundum meum postulatū est hoc, quod Christus de se ipso loquens introducatur. Hoc facile mihi omnes, quotquot præcedens assertum approbant, dabunt. Hoc solum consideretur, quod de ea natura hæc sint accipienda, secundum quam Christus se a Deo distinguere, in Deum sperare potest, eum pro sua sorte accepit, a rebus cruditur, Dominum sibi semper ante oculos ponit, secundum quam habet carnem, item animam, cui corruptionem videre, non ex ipsa natura, repugnaret, & quæ sunt alia Prædicata, quæ docent, de humana Christi natura hic agi, eo tamen modo, ut divinæ ejus naturæ servetur, quod in actionibus Christi Evangelicis divinæ ejus naturæ est.

III. Tertium, quod mihi concedi volo, est, quod Christus quidem per totum Psalmum loquatur; ideo tamen non sequatur, quod etiam non in uno aut altero versu possit alterius verba referre.

IV.

IV. Quarto præsuppono, quod v. 2. vox **אָמַרְתָּ** non sit corrupta. Non quidem ignoro, interpretes quosdam ita hunc locum vertere, quasi non **אָמַרְתָּ** tu (Foem.) dixisti, sed in Prima Persona, **אָמַרְתִּי** dixi, legeretur. Hoc modo exponit *VULGATUS* non solum, & qui eum sequuntur; sed eodem quoque modo LXX. Interpretes legunt *ἡμεῖς τὸν κυρίον*, cum quibus Græci pariter Patres agunt. *STRYVS* quoque per suum **אָמַרְתִּי** dixi, & *ARABS* per **قُلْتُ** dixi, item *Æthiops*, idem approbant. Hæc tamen argumenta nondum evincunt, quod genuina lectio sit **אָמַרְתִּי** dixi. Nam quod 1) ad versiones attinet, α) de quibusdam clara res est, quod e LXX. solum sint constata, β) quoad Syram & Arabicam adhuc suspicio alicui suboriri posset, cum antiquitus punctis caruerint, anne hodierna apposita sint, ut τοῖς LXX. & *Vulgata* respondeant. Si enim alias appono Vocales: τὸ **אָמַרְתָּ** respondentia habeo. Ex Syro **אָמַרְתָּ**, vel 2) Masc. **אָמַרְתָּ** dixisti, vel 3) Foem. **אָמַרְתְּ** dixit femina: ex Arabico **قُلْتُ** etiam **قُلْتِ** dixisti femina, oritur. Quicquid vero hujus sit, γ) dixi, ubicunque adest, e LXX. ortum trahit suum. Sed LXX, δ) **אָמַרְתִּי** legisse, firmo argumento probari non potest. Nam pater, LXX. sapius modo sensum attendere. Quia itaque h. l. ipsis *Secunda Persona Foem.* vix bonum exprimere sensum videbatur, sensum ita exprimere voluisse censendi sunt: quod *AINSWORTHVS* & *MFISIVS* jam observarunt. Idem (ε) iudicium esto de *Vulgata*. Opponimus (ζ) hisce *TARGUMISTAM*, quem *WHISTONVS* suis argumentis nondum de ponte deiecit, eum in secundo tantum seculo versionem suam, in odium Nov. Test. post corruptionem (quam male credit) Ebraei codicis, confecisse. *TARGUM* vero legit **אָמַרְתָּ** 2 Foem., quod versio hæc probat: **אָמַרְתָּ אֲנִי נִפְשִׁי קִרְבִּי יְיָ** i. e. dixisti, o anima mea, coram domino. Patet præterea II) vera lectio

e consensu summo codicum Ebraeorum, cum haftenus ne vel unicum exemplar ostendi potuerit, in quo legeretur *אִמְרָתִי dixi*. III) In subsidium vocamus quoque *Masoram*; & hoc quidem duplici ex fundamento. Primum est, quod h. l. nullum *וְכ' P* agnoscit; ne aliquis suspicetur, alia fuisse exemplaria, quæ legerint *אִמְרָתִי, dixi*. Cum vero nulla h. l. occurrat hujus rei mentio, ex diligentia illa, alias fere nimia, negative concludimus, nec olim talia exstitisse exemplaria. Præter Masoræ silentium, ad ejus expressa verba me recipio, ubi & *Magna* & *Parva* Masora conspiciant, quod vox *אִמְרָתִי*, sine Præfixis, septies occurrat, quæ loca Mas. Magna producit, & sunt quidem *JVD. XVII. 2. 2. SAM. VI. 22. PS. XVI. 2. JES. XLVII. 10. LIX. 10. JEREM. XXII. 21. EZECH. XXVII. 3.* Quodsi vero locus noster auferretur: septenarius non solum numerus deesset, sed & formæ *אִמְרָתִי* numerus adhuc addi deberet. IV) Probo ab absurdo alias secuturo. Frustra enim contra se ipsos Judæi corrupissent hunc locum. Nam versus hic non citatur in N. Test., ut suspicari possimus, ex odio in Christianos, vel ad evitandas eorum objectiones, Judæos ex *אִמְרָתִי* fecisse *אִמְרָתִי*. Sibi vero ipsis difficultates creare voluisse, censendi non sunt. Ambigui enim ipsi Rabbini hærent, an cum *רָשִׁי* asserere debeant, quod Psalmus loquatur *לְכַנְסֵת יִשְׂרָאֵל de cœtu Israelitici populi*, an vero cum *R. A. ESRA* credere debeant, quod David alloquatur *נַפְשִׁי animam suam*. Vtrumque assertur in *CHIBBURE HALLEKET in b. l. f. 123. col. 1.* & totidem verbis in *NAPHTALI HIRSCH ALTSCHVSELER Ajjala schlucha b. l. f. 5. 6.* A me sane impetrare non possem, ut crederem, h. l. Judæos aliquid mutasse, ubi præsens lectio ipsos tenet suspensos. Ex his igitur argumentis secum collatis, censor non iniquus, mihi, credo, concedet, quod *אִמְרָתִי* sit lectio genuina. Qua lectione stabilita, in aprico est, Christum hoc in versu alloqui aliquid, quod in Fœminino compellare poterat.

V. His jam præmissis, facilius capi poterit conjectura mea. Autumo nempe, Christum per totum quidem hunc Psalmum loqui. Sed mox alloquitur Deum, mox Ecclesiam Judaicam apostaticam, sibi cum aliis impiis adversam, mox vero Ecclesiae suae suam & suorum sortem aperit. Deum sane alloquitur v. 1. 5. 10. 11. Impios vero Judæos ita compellat, ut impia ipsorum verba & anathema contra Christianos afferat v. 2. 3. 4. Ecclesiam vero suam solatur v. 6. 7. 8. 9. Quod tales Apostrophæ in Psalmis Emphaticis & affectuosis crebrius occurrant, lectores mei ignorare non poterunt. In antecessum tantum 1) hæc prænotent velim, quæ diximus. 2) Evolvant, quæ de voce אָמַר, *dixisti*, allatur sumus, quod nulla ratione commodius, quam nostra, exponi possit. Hæc enim vox directorium quasi h. l. sensus est. 3) Non prætereant, quot difficultates inveniant Exegetæ quodad v. 2. 3. 4. cum illos de Christo ipso exponere nituntur. 4) Recogitent, quod secundum alios v. 3. & 4. sibi plane contradicere videantur. Nam in v. 3. Christus facetur, quam grati sibi sint sancti; v. 4. vero plane abhorrentem animum deprehendas, si Ebraeum textus legas: qua propter in versionibus ELLIPSIN haud unam adhibere solent, cum subintelligunt vel אָמַר ante אָמַר; vel, quia nec illo modo sensus, quem volunt, inde planus emergit, Ellipsi addunt adhuc SYNCHYSIN, aliamque Ellipsin, quasi hæc adessent in textu verba: וְהָמָּה אָמַר אָמַר מִדָּרֵךְ יָדָם עֲצָבָתָם: quo sensus hic emergat: *Sed quod attinet ad eos, qui alium sectantur: eorum dolores multiplicabuntur.* Quis vero hoc ferret? 5) Ad animum sibi quoque revocent, quod Particularismi quidam patroni e v. 4. argumentum suæ sententiæ quarant. Quis itaque & h. l. talem non eligeret expositionem, quæ & h. l. omni suspitione liberaret? Si vero h. l. tantum verba impiorum Judæorum a Christo recensentur, inferri nequaquam potest, quod Christus in ipsis doceat Particularismum. Descendo itaque ad rem ipsam precatus: שְׁמַרְנִי אֵל כִּי חֲסִידִי בָךְ

V. 2. אִסְרָתָּ לַיהוָה אֲדָנִי טוֹבָתִי כֹל עָלִיד.

*Tu* (Foeminine) *dixisti ad dominum: tu es Dominus. Bonitas mea nibel ad te.*

I. Hic versus est, qui conjecturæ meæ ansam præbuit; qui & tot Exegetarum expositionibus dilaceratur, ut credi vix possit. Qui enim autumant, אִסְרָתָּ esse, *dixi*, & referre hic Christum, quid ipse ad Deum Patrem dicat, illi non possunt non maximas hic invenire difficultates. I. non immerito quæritur, unde pro *PRIMA* Persona, h. l. occurrat *SECUNDA* & quidem *FOEMININI GENERIS*. Si אִסְרָתָּ, ut supra ostendi, est genuinum: in gratiam hæc vox cum illa expositione redire nequit, nisi duplicem Anomaliam, nempe *ENALLAGEN* simul *Generis Foeminini pro Masculino*, & *Personæ Secundæ pro Prima*, agnoscamus. Cur Christus adhiberet Personam Secundam pro Prima? Cur de se adhiberet Foemininum? Ut itaque hos scopulos devitent, alii asserunt, Christum alloqui *animam suam*. *CHALDAEVM* ita interpretantem supra exhibuimus. Ita & Rabbini, רִשִׁי, *Aben-Esra*. Nec abit *URI FEIBESCH* in *Versf. Judeo-Germanica*: מִיָּה זֵינָה זִמְנָה צוֹ גֹּטִי *Meine Seel sey sagend zu Gott*. Christiani, de Christo, non Davide (ut Judæi), accipientes, varii quoque hoc modo accipiunt. Varios cumulavit iam *POLVS* b. l. Versio *ANGLICANA* etiam ita reddit: *O my soul, thou hast said unto the Lord*. Nec abludit *GALLICA*: *O mon ame &c.* Eodem modo accipiunt *SAL. v. TILL* in b. l. p. m. 253. *SILBELIVS* *Comm. in Ps. XVI. peculiari p. 23. a.* qui tamen pessime simul errat, quod Psalmum non de Christo exponit, sed de Davide. De anima Christi exponunt & *COCCEIVS* *Comm. in b. l. Opp. T. II. p. 75.* *GEIERVS* in b. l. *CALOVIVS* in B. II. b. l. Displicet vero hoc aliis, qui de humana Christi natura accipere malunt. Ex his est *B. BOHLIVS* in *Paraphrasi in Psalm. b. l. p. 49. b. m.* circumscribens: *Denn meine Menschheit und also ich selbst in der*

persönlichen Vereinigung / die ich dir gerne nachgebe / habe gesagt.  
&c. idem & habet SOHLIVS in *disp. I. in Ps. XVI.*, Rost. 1638.  
*bab. §. 10.* Sequitur hunc Præceptorem B. LEDEBVHR in *Ca-*  
*tena p. 460.* scribens: אִמָּה *Fœmininum videtur referri ad hu-*  
*manam Christi naturam, vel certe ad animam.* Verum hoc dif-  
ficilius probari potest, quam illud de anima. Unde enim patet,  
quod de humana Chr. natura in S. Scriptura Genus Fœm. adhi-  
beat? Argumenta deficient. Nullam dabunt rationem,  
quare h. l. in medio precum, ubi & in præcedentibus & in se-  
quentibus, secundum ita exponentium mentem, Deum com-  
pellat, vocem אִמָּה adderet.

II. Mea vero expositio plana est, & omnibus caret difficul-  
tatibus. Vox aliis tot dubiis involuta, אִמָּה *dixisti*, mihi omni  
caret dubio. Est *Secunda Persona Fœmin. Generis*, sine omni a-  
nomalia. Præter omnis quoque Enallages suspicionem occurrit.  
Si enim me audis, Christus hic, post expetita sibi a Deo Patre  
auxilia, se convertit ad impiam Iudæorum Synagogam, & ipsi ex-  
ponit, quam impie & infelicitè, contra Christum eiusque fide-  
les agat, cum Christum respuat, ipsiusque sanctos excommuni-  
cet, & hoc quidem e vana & admodum superba spe gratiæ divi-  
næ extra Christum. Quid vero magis notum est, quam Syna-  
gogam Judaicam in S. codice Fœminino Genere solere exprimi.  
Extra controversiam est EZECH. XVI. 6. *sqq.* puellam esse Israeli-  
ticum non solum cœtum, sed & Ecclesiam, uti vel Judæi in אִמָּה  
חַמָּה h. l., RASCHI item *Ab. ESRA*, ABARBENEL, alique expo-  
nunt. Nec dissentiunt Christiani, e. gr. COCCEJVS in *Comment.*  
in EZECH. p. 94. *sqq.* CALOVIVS in *Bibl. illustr. b. l.* FRIEDLIB.  
in *b. l.* CALIXTVS in *b. l. p. 444.* &c. HOS. II. 2. non minus cla-  
rum est. Vid. B. TARNOVIVS, MEISNERVS, S. & Job. SCHMIDT,  
Cl. WAKIVS in *b. l.* Quis etiam dubitat de JER. II. 2. *sq.*? Conf. B.  
HÜLSEMANNVS & S. SCHMIDIVS in *b. l.* & add. si placet, quæ  
dixi TOM. II, MED, m. PRIVAT. p. 123. *sqq.* Plura loca cumulare  
velle

velle superfluum esset: cum nemo negare hæc possit. Dices vero, te talia modo requirere loca, in quibus, ut in nostro, præter mentionem antecedentem mystici conjugii Dei cum Ecclesia Judaica, quasi ex abrupto, per verbum Fœm. Generis ad Israeliticam Ecclesiam dirigatur sermo. Et quoad hoc lectores meos ad *Tom. II. MED. m. Privat. p. 39.* remittere possem, ubi exempla quædam adsunt. Legas *JES. I. 21. sqq. XII. 6. XVII. 10. 11. sqq.* שְׁחַכְתָּ וְכָרַת, &c. plane ut h. l. nulla vel fœminea mentione antecedente. *JES. XL. 2. 9. sqq. XLI. 14. sqq. XLIX. 14. sqq. 18. sqq. 22. sqq. LI. 17. sqq. 21. sqq. LII. 1. sqq. LIV. 1. sqq.* Ex improvise plane ut h. l. etiam *JES. LX. 1. sqq.* sine ulla antecedente mentione sive urbis s. alterius Nominis Fœm. קוּמִי אֲרֻרִי וגו' surge, evigila &c. *JES. LXII. 4. sqq.* Eodem etiam, cum nostro dicto, modo *JES. LXVI. 7. sqq.* Hæc e Jesaia solo collegisse sat erit, jam de Ecclesia Judaica, jam de Christiana. A qua consuetudine nec Psalmorum librum abhorere, vel e *PS. LXXXVII. 1. sqq. PS. CXXXII. 6.* constat. Quod vero non tantum ita locus noster exponi queat, sed & debeat, ipse Psalmus docet. *Talia enim sunt Subjecta, qualia permittuntur esse a suis Prædicatis.* Jam vero *v. 2. 3. & 4.* talia sunt Prædicata, quæ nec in Christum commode, nec in Deum, nec in Ecclesiam, quadrant; optime vero & unice, si sine arte sensum textus scrutamur, de Synagoga Judaica exponuntur. Ergo de Synagoga exponi hæc debent. *Minoris probationem posces.* Dabo eam, quoad singula membra. Quod (N) de Deo hæc exponi debeant, nemo hactenus asseruit. Est enim Deus Objectum sermonis in *v. 1. & 2.* ad quem sermo nempe dirigitur. Subjectum igitur loquens non habetur. Nec *Fœmininum* אֲרֻרִי de Deo adhiberi posset. Nec Deus Messiam Dominum suum dicere posset, si vel assereres *v. 2.* esse responsionem ad *v. 1.* institutas preces Messiae. Nec dici posset, quod bonitas ejus ad Messiam non spectet. Sed de Deo nemo assumere volet. Pariter (D) de piis, s. Ecclesia Christi, nemo facile

facile interpretabitur, quod Messias eam in v. 2. 3. 4. loquentem introducat. Nam Ecclesia Christi est cœtus ipse, quo delectatur Christus v. 3. & ad quos, ceu Objectum, sermo v. 3. 4. dirigitur. Non quoque v. 4. designatæ maledictiones in filios hos Spiritus S. mitissimi cadunt. Remanet igitur, ut hæc vel de Christo exponantur, vel de hostibus veræ Ecclesiæ, & si de hostibus Ecclesiæ, aut de gentilibus, aut de impia Judæorum Synagoga.

III. Secundum me itaque, Christus, precibus ad Deum præmissis v. 1., refert, quam impie Judæorum Synagoga se & suos persequatur. Et hoc quidem profert, non sermone ad Deum directo, sed ad ipsam Synagogam: quales Apostrophas crebrius occurrere, fateberis. Summa proinde *versus secundus*, ex mea expositione, est hæc, quod Christus reprehendat Judaicam Ecclesiam, quod putet, se non indigere gratia & merito Christi, quia Deum habeat Dominum. Hoc vero est id ipsum, quod *JOH. VIII. 41.* dicunt: *ἵνα πατέρα ἔχομεν, τὸν Θεόν.* &c. En complementum! Dices: bene se hæc habent, si id h. l. dicitur. Dici autem hæc h. l. vel ipse fatebitur lector benevolus, si artis Criticæ & simplicitatis ac certitudinis Biblicæ est amator. Duas in hoc versu esse Enunciationes, Accentus vel tyrones docere potest. Duo quoque Christus Judæis exprobrat, quod 1) vanam in Deum spem conceperint, & 2) ideo meritum suum spernant. Prius clara verba docent: *Dicis ad Deum, tu es Dominus.* Ad Deum dicere, quod Dominus noster sit, sive Deo, ut Domino suo, confidere, duplici potest quidem sensu dici. Vel vere pius hoc dicit ex vero; Vel impius, in impietate tamen sua falso sibi pollicetur gratiam Dei. Cum de Ecclesia Judaica, qualis tempore Christi, quoad plurima membra, erat, hæc accipiamus: non nisi malo & hypocritico modo hæc dicta esse, censere debemus. Qui de Christo exponunt & *Ἰησοῦν* non in *Primam Personam* mu-

B

tant,

tant, illi subintelligunt *נַפְשִׁי anima mea* h. m. *Tu, anima mea, dixisti ad Dominum, Tu es Dominus.* Probare hanc Ellipsin volunt exinde, quia David alibi animam suam alloquatur. Verum respondeo *α)*, David tunc expresse animæ suæ meminit; & *β)* a Davide ad Christum, & quidem sub connotatione Ellipseos, colligere non licet. Cur vero Christus, animæ soli tribueret confessionem, quam in diebus carnis suæ etiam sæpissime oretenus protulit? Sequentia quoque nequaquam de sola anima Christi dici possunt, quod ea habeat illam *נַפְשִׁי*, quam aliquo modo (de quo non conveniunt, ut mox videbimus) Deo opponat: siye enim sequentia ut actus, siye ut habitus exponantur, soli animæ haud conveniunt. Missa proinde illa expositione, restat jam tantum, ut hæc verba de Judæorum Synagoga, tempore Christi, in terra visibili modo agentis, exponamus. Hanc nempe Christus alloquitur: *Tu dicis ad Dominum, tu es Dominus.* Quod Fœmininum commode & usitate de Ecclesia Judaica adhibeatur, jam *supra ad v. 2. n. 2.* observavi. Ut nequidem h. l. necesse sit, asserere, quod *Secunda Persona Fœm. Generis* notet idem ac Impersonale, *man spricht* / quale quid de Tertia Persona Fœm. *T. II. Med. Privat. p. 38.* conjeci. Id vero, quod Ecclesia Judaica dicere dicitur, est quod dixerit ad Deum *לַיהוָה* ad verum Deum, *אֲנִי אֲתָּה* tu es Dominus, cui innitor.

IV. Quod sequentia jam verba: *נַפְשִׁי כָּל עַלְיָךְ* non sint verba Synagogæ impiæ ad Deum, clare ex *א* patet. Si enim huic sua est dignitas servanda præ *Tiphcha anteriori*: sermo Synagogæ ibi terminari debet. Pro verbis itaque Christi hæc habeo, qui Synagogam reprehendit, quod ob vanam illam in Deum spem, meritum suum spernat & respectu sui pro nihilo habeat. Non sum ignarus, quod alii aliter sentiant, sed varias eorum expositiones variis quoque dubiis involvi, pariter non ignoro. *Verso LXX. Interpretum*, per Ellipsin Conjunctionis Causalis hæc

hæc præcedentibus annectit: *ὅτι τῶν ἀγαθῶν μὴ ἔχρειαν ἔχεις.*  
 Sed hoc alienum esse, satis patet, quoniam nulla est sequela:  
*Tu es Dominus meus, quia bonorum meorum non indiges.* Nam  
 nec Deus bonorum impiissimorum indiget, & tamen Do-  
 minus eorum non est, eo modo, ut est piorum. *TAR-*  
*GVM* autem aliter hæc connectit cum præcedentibus: *כִּרְכִּי*  
*מִיָּבִיתִי לִי מֵיְהוָה כִּרְכִּי מִנֶּכֶד* Vertunt: *Verumtamen bonum*  
*meum non datum est, nisi a Te.* Non nego, quod *כִּרְכִּי* sit *ve-*  
*rumtamen*; nec tamen *BYXTORFFIVS* in *Lex. Chald. Talmudico*  
*b. v.* nos ignorare sinit, sæpe *כִּרְכִּי* notare profecto, sæpe. Si ul-  
 timum adesse credis, minores senties difficultates, quam si prius  
 eligis; quanquam etiam versio per *verumtamen* expositioni meæ  
 potius prosit, quam obsit. Missio jam nexu, ad ipsa veniamus  
 verba. Varias interpretum antiquorum expositiones col-  
 legit *CORDERIVS* in *b. l. p. 279.* lectorem suum dubium relin-  
 quens; utrum sensus sit, quod Deus non ob nostrum bonum, sed gra-  
 tis omnia nobis det; an vero, quod Deus nullius rei indigeat.  
 In *Catena* vero, quoad hæc verba, nil a Patribus ad-  
 duxit. Dubius & *FRIEDLIBIVS* in *b. l. p. m. 596.* Cum aliis  
*POLVS* & illam producit expositionem: *bonum meum tibi nil*  
*addit.* Item illam *HIERONYMI*: *bene mihi non est sine te.* Item  
 hanc: *bonum meum non est reconditum apud Te.* Nec non hanc:  
*bonum meum, passione partum, non est propter te, sed propter san-*  
*ctos.* Tandem & hanc addit: *bonum non est super te, b. e. ad*  
*quod e sponſione obligabar, quo bonum meum perveniret ad*  
*homines, id a te præstitum est.* Taceo alia. Satis etiam ex his  
 liquet, quot vias quarant interpretes, ut sensum aliquem, quo-  
 dammodo convenientem, inveniant. Nec tamen ullus exacte  
 quadrat. De illa, quæ ad indigentiam confugit, jam antea egi.  
 Altera vero a *Corderio* adducta, aliena est, quod sensus sit,  
 Deum Christo omnia gratis dare, sive, ut ipse exprimit: *Bo-*  
*num, quod mihi præstas, non tu præstare cogeris officio vel debito*

aliquo, aut merito meo ullo compulsus, sed ad bene mihi facien-  
dum tua te clementia & benignitas sola adducit. Non agit Psal-  
mus de Davide aut ullo mero homine, sed de Christo, qui sa-  
tisfecit merito suo non pro se, sed pro toto mundo. Quis er-  
go diceret, meritum Christi nil valere apud Deum? Adhæc dif-  
ficillime hic sensus e textus verbis educi potest, quia **כִּי** **עֲלֶיךָ**  
est, *nihil ad Te*, non vero, *non ullo merito mihi das*. Prima  
in **POLO**, quod bonitas Messiae Deo nil addat, a contextu plane  
abhorret. Quomodo enim illatio valeret: Conserva me Deus,  
quia bonitas mea nil tibi addit? **HIERONYMVS** vero **טוֹבָתִי** con-  
torte exponit & **כִּי** **עֲלֶיךָ** **רָפָה** significatum dat, quem probare  
non potest. Tertia in **POLO**, *Ellipsin, reconditum est*, addit non  
necessariam, & **עֲלֶיךָ** significatu insolenti accipit: adhæc contra-  
rium potius verum est, quia meritum Christi semper coram Deo  
est. Quarta in **POLO** **עֲלֶיךָ** cum **אֶתְּ** confundit, & in v. sq.  
Ellipsin non tantum intrudit; verum & **רָפָה** **אֶתְּ** majorem dat  
distingvendi vim, (ne dicam ipsi Tiphchæ anteriori) quam Sillu-  
co. At nec h. l. bona esset argumentatio: conserva me, quia  
ego non te redemi, s. tibi aliquid promeritus sum, sed piis. Ul-  
timam tandem in verbis: *bonum meum nil ad Te*, ne Argus qui-  
dem inveniet. **LEDEBVHRIVS** in *Caten.* p. 461. exponit ex  
**GEN. XVI.** s. h. m. *bonum meum non est fundatum super Te*, i. e.  
Judæi dicunt, me esse impostorem, & non a Te missum.  
Sed hoc 1) est longe petatum, 2) nititur violenta expositione v. g.  
quasi *sancti* sint impii Judæi, & hoc negato, 3) cum contextu  
hæc non cohærent. &c. Cum ergo non detur facilis expositio de  
Christo hæc accipiens, mecum simplicitatis fautores asserent, quod  
hæc ut verba Christi ad Synagogam impiam dirigantur, quibus eam  
accusat, quod ob fiduciam in Deum vanam, Christi meritum  
spernat. Hoc Christus ira eloquitur: *Benignitas mea nil ad Te*.  
Verba bene respondent. **טוֹבָה** *benignitas* & ab aliis accipitur de  
merito Christi, & bonis eo partis, nec usus abludit. Christi  
est

est illud טוב bonum, quod nuncii Evangelici annunciant JES. LII. 7. Et multus esse deberem, si omnia loca adferre vellem, ubi bonorum per Messiam partorum fit mentio. Nemo vero hac de re dubitabit, quod summum illud bonum, merito Christi parum, *bonum Christi*, ut promerentis & conferentis, dici possit. De his vero bonis, humano generi partis, Christus docet, quod Judaica Synagoga ea, ex falsa in Deum fiducia, spernat, eaque nil sibi prodesse, & ad se spectare credat, quod convenit cum IOH. I. 10. 11. Ita quidem Christus cæcitatem Synagogæ Judaicæ objicit.

V. 3. לקדושים אשר בארץ המדבר ואדירי כרל מפצי כם  
i. e. *Ad sanctos, qui adhuc sunt in hac terra, & quidem ut honorati, quibus delector, nempe tu Synagoga hæc dicis, quæ v. sq. leguntur.*

I. Connexio est non obscura. Pergit nempe Christus in hoc & sq. v. Ecclesiam impiam Judaicam alloqui, ipsique objicit, quod, dum meriti sui bonum spernit, non solum alloquatur Deum; sed quod v. 4. etiam aliquid de Christianis dicat. Hoc itaque ל in לקדושים eodem modo coheret cum אמרת ut hoc cum ליהודי. Vti enim ibi loquebatur ad Deum & de Deo: ita v. 4. directa ad Christianos, quædam ad illos & de illis dicit. Hæc connexio sane est simplicior, quam quando ל in לקדושים idem cum על in עליך valere dicitur.

II. In verbis nulla sane adest difficultas, sed liquido determinant subjectum ad quod sq. v. spectat. Pii Christi fideles appellantur אשר בארץ המדבר, *sancti, qui in terra sunt.* Christiani veri hic nomen gerunt in V. & N. T. Ps. LXXXIX. 6. 8. Act. XIII. 22. Act. IX. 13. 32. XXVI. 10. Rom. I. 7. XII. 13. XV. 25. 2. Cor. I. 1. VIII. 4. IX. 1. 12. XIII. 12. Eph. I. 1. 15. 18. II. 19. III. 8. 18. IV. 12. V. 3. VI. 18. Philipp. I. 1. IV. 21. 22. Col. I. 2. 4. 12. 26. 1. Thess. V. 27. 1. Tim. V. 10. Philem. v. 3. & 7. Ebr. VI. 10. XIII. 24. 2. Petr. III. 5. Jud. v. 3. Apoc. V. 8. VIII. 3. 4. XI. 18. XIII.

7. 10. XIV. 12. XV. 3. XVI. 6. XVII. 6. XVIII. 24. XIX. 8. XX. 9.  
 In omnibus his locis Christiani sanctorum gerunt nomen: quam-  
 quam lubens fatear, non excludi respectum ad sanctificationem,  
 quam vel actu habent, vel habere tenentur, ita quidem, ut  
 in plurimis locis soli veri sancti in Ecclesia intelligantur, in aliis  
 vero locis etiam illi simul connotentur, qui in Ecclesia visibili  
 sunt, & non tantum tales esse debent, sed & tales esse præten-  
 dunt. Communiter quoque hæc de Christianis accipiunt: B.  
 tamen LEDEBVHR l. c. p. 462. intelligit impios Judæos, quos  
 Deus olim sanctificarat, & ex omnibus populis sibi elegerat.  
 Sed quam contortum hoc sit, per Prædicata hic data patet. Et  
 ne quis objiciat, quod & S. angeli & cœlites sint sancti: Chri-  
 stus aperte determinat, quinam sint, nempe qui in hac terra,  
 uti milites militiæ suæ S. sint, in Ecclesia militante. Ita, pari-  
 ter JOH. XVII. 11. ἔσθι ἐν τῷ κόσμῳ ἵος, de Christianis ait. Et  
 nulli etiam, præter fideles in terra, Prædicatorum h. l. posito-  
 rum sunt capaces.

III. Magnum quoque elogium est, quod Christus fide-  
 bus suis dat, quod sint excellentes, in quibus omne beneplaci-  
 tum Messiae sit. Phraseologia h. l. aliquid difficultatis habere  
 vulgo videtur, quasi אֲדִירִי Status Constructus sit, pro אֲדִירִי  
 Absoluto, quoniam non sequitur Nomen, cum quo cohæreat  
 Constructa hæc forma. Adhæc etiam nonnulli hic credunt El-  
 lipsin ל, quasi exstaret אֲדִירִי וְלִאֲדִירִי ad magnificos. Sed neu-  
 trum dubium est indissolubile. Quod ad prius attinet, non adeo  
 arctis regulis hodie a Cœl. Grammaticis & Criticis includitur Sta-  
 tus Constructus, ut duo tantum Nomina in eo poni possint.  
 Observavit jam diu B. GEIERVS, quod Nomen quoque cum in-  
 tegra Propositione construatur, cuius constructionis quædam ex-  
 empla adduxi Tom. I. Med. Priv. p. 130. Eodem sane modo & h. l. אֲדִירִי  
 אֲדִירִי cum reliqua Propositione sequente construitur, ac si tota illa  
 Enunciatio sequens esset unicus terminus, quia continet ideam  
 unam

unam compositam. Et si me sequi cupis, hæc a præcedente <sup>4</sup> non reguntur. Copulam <sup>1</sup> potius verterem per *quia*, quem significatum hoc generale vinculum commodè gerere potest, & actu quoque gerit e. gr. GEN. XXIV. 56. וַיֹּדוּ *quia Dominus &c.* Sensus itaque oppido bonus: *ad sanctos* ait, quæ sequuntur, non invidia, odiove terrestri mota, sed solum, *quia sunt magnifici, qui mihi placent*, s. Christiani ab impia Synagoga non ob facinoræ quædam excommunicantur, sed ob fidem in me, per quam pretiosi sunt in oculis meis, cordique meo placent. Vel simplex quoque significatus non male <sup>רָץ</sup> <sup>1</sup> servatur: et tamen sensus idem. Cohærent nempe hæc tunc non cum לִקְרֹשִׁים, ut duo Nomina in eodem Casu copulata, sed hæc descriptio Christianorum potius cum limitatione addita, quinam intelligantur sancti, connecti vult. Uti enim nemo dicet, quod ante verba hæc: אֲשֶׁר בְּאֶרֶץ הַמּוֹרִי Ellipsis <sup>ל</sup> concipi debeat: ita nec h. l. descriptioni, qui & quales ex incolis terræ sint, Ellipsis assuenda venit. Sensus est planus: *Ais ad sanctos, qui in terra adhuc sunt, & quidem sunt pretiosi, in quibus voluntas mea est.* Consequenter hæc & eundem inferunt sensum, quem modo dixi. Et ita quoque B. LUTHERVS accepisse censendus est, qui vertit: *an denen habe ich alle mein Gefallen.* Si enim cum לִקְרֹשִׁים hæc conexa putasset, reddidisset: *an welchen &c.* Nec huic mea expositioni Accentus obstant, quasi <sup>א</sup> negligeretur, quia non cum הָמָּה vel בְּאֶרֶץ, sed cum integra Enunciatione nexa hæc sunt, quæ eodem modo poni, usus satis docet. Vide vel PS. I. v. 5. II. 2. 7. &c. Non igitur mihi illa dici scribi potest, quæ HAMMONDO in b. l., qui in אֲדָרִי maximam ponit distinctionem, quasi sensus: *dixisti ad Sanctos* (NB hoc bene observavit), *qui in terra & magnifici sunt*, hoc nempe: *delector eis.* Ita <sup>א</sup> plus quam <sup>א</sup> valeret. Non multum a nobis abludunt TARGUM & STRYS. Multum vero recedunt LXX. *Vulgatus, Arabs & Æthiops, LXX. Senes fere omnes secuti*, qui h. m. *ἰθαυμάτως πάντα τὰ θελήμα-*

va dūtā iv dūtāc. mirificavit omnes voluntates (meas habet Vul-  
 gatus) suas in eis. Ommittitur ו ארירי habetur pro Verbo  
 aut Participio, מפצי pluraliter acceptum, & ex ingenio suo  
 expresserunt. Magnifica vero plane est denominatio, qua Chri-  
 stiani veniunt. ארירי ipse Deus dicitur PS. VIII. 2. 5. 10. LXXVI. 5.  
 LXXXVI. 4. JES. XXXIII. 21. Reges quoque PS. CXXXVI. 18. & o-  
 ptimae oves gregis JER. XXV. 34. 37. Non quidem ignoro, quod  
 phrasis כל מפצי כם sensum reddat: *omnis delectatio mea est in*  
*eis, sive in eis delector.* Plus tamen phrasis dicit, quam meram  
 complacentiam, connotat nempe internum fundamentum amo-  
 ris. Loca ex quibus probari potest, quod hæc phrasis sit, aliqua  
 re delectari, hæc sunt, præter nostrum, JES. LXII. 4. PS. I. 2. &  
 HIOB. XXI. 21. In omnibus vero non denotatur aliud beneplaci-  
 tum, quam quod e re aliqua capitur, quæ fundamentum in se  
 habet, & desiderio ejus, qui illa delectatur, responder JES. LXII.  
 4. מפצי בור confertur ibi Ecclesia vera cum sponsa, quam Deus  
 tanquam sponsus amat, ubi fundamentum adesse, quilibet fate-  
 bitur. Et quoniam Deus piis (JES. LXI. 10.) dedit vestes justitiæ  
 Christi, omnino in eis deprehendit, quod amet. PS. I. 2. כתור  
 יורה מפצי lege Domini non solum delectatur pius, sed habet  
 quoque in ea lege, omne illud, quod desiderare pius animus  
 potest. HIOB. XXI. 21. מר מפצי כביתו quærit Hiob, locutus  
 de iis, quos ira Dei abripit: *nam quid ei delectabile est in domo sua*  
*post mortem suam, cum menses ejus amputantur?* Vid. S. SCHMID.  
 b. 1. Sane post fata non habet materiam gaudendi in relicta do-  
 mo. Eodem modo h. l. non solus amor Christi in genus huma-  
 num denotatur, sed maxime, quod in piis adsit fundamentum,  
 quare placeant Christo. Et hoc non dices esse aliquid in na-  
 tura, aut absolutum decretum, sed fidem in Christum, qua  
 voluntatem Dei de salute sua sibi applicant & in se habent. Tam  
 egregii igitur sunt illi Christi fideles, de quibus Synagoga Judai-  
 ca, quæ v. 9. exstant, decernit, non aliam ob causam, quam quia  
 Christi fideles sunt.

V. 4.

V. 4. יִרְבוּ עֲצוּבוֹתֵם אַחֵר מִזֶּהוּ כֹל אֲסִיךְ נִסְכֵּיהֶם מִדָּם וְכֶרֶם  
 אֲשֶׁר אֵת שְׁמוֹתָם עַל שְׂפָתַי *Multiplicentur dolores eorum: peregrinum anxie sequuntur. Libamina, s. effusiones, eorum, e sanguine, non effundam, nec nomina eorum feram in labiis meis.*

I. Connexio e precedentiibus patet. Quia enim Messias v. 3. dicebat, Synagogam Judaicam impiam aliquid ad Sanctos in terra, veros Christianos, dicere: jam diræ illæ ac execrationibus plenissimæ sequuntur voces. Continent vero hæc detestationes formalem execrationem ac excommunicationem, ab Ecclesia Judaica impia, suo more, susceptam. Quod ἀποστασίων Christianos facere velint Judæi, Christus clare prædixit JOH. XVI. 2. Vid. *Cel. WOLFIVM in b. l. 5 ad JOH. IX. 22. ac citatos.* De excommunicatione Christi & Apost. a Judæis facta, conf. *MEEL-FÜHRERI disp. 2. de Jesu in Talmude p. 7. sqq.* Non opus esse arbitror, ut hic in Ebraeorum antiquos in excommunicatione gravissima מִשְׁוֵהוּ ritus excurram. Multos hanc in rem citavit *B. PFEIFFERVS in Dub. Vex. p. m. 947.* Add. *B. L. DASSOVII Coll. Antiq. MS. P. II. c. 3. §. 4. PFEIFF. Specim. Antiq. Ebr. p. m. 182. sq. LIGHTFOOT Hor. Ebr. in Acta p. m. 168. sqq. CARPZOVII Frag-Pred. D. Exaud. p. 1017. sqq. 1021. &c.* Nobis ad scopum nostrum satis est, observasse, quod Judaica excommunicatio maxima complexa fuerit a) maledictionem, qua excommunicando, ob impænitentiam perseverantem, multa mala imprecati sunt: & β) exclusionem perpetuam, & a beneficiis Ecclesiasticis & precibus, multo magis a civili conversatione, cum quasi mortuus haberetur. Cuncta hæc adeo graphice in versu nostro describuntur, ut clarius nihil esse possit.

II. Maledicunt primo Judæi Christianis h. m. יִרְבוּ עֲצוּבוֹתֵם  
 אַחֵר מִזֶּהוּ *multiplicentur dolores eorum: alienum sectantur.* Qui hæc verba Christo, pro hostibus alias deprecanti, tribuunt, ut  
 C sen-

sententiam condemnatoriam hæc respiciunt. Multi quoque vocem עֲצוּבוֹת non per molestias s. dolores, sed per idola exponunt, qua versione nec Vocalibus, nec *Futuro*, quod pro *Præterito* poni credunt, faciunt satis. Communiter quoque *ELLIPSIN* Pronominis אשר textui inferendam dicunt, h. m. *multiplicentur dolores eorum, qui sectantur peregrinum*. Et quoniam sagacia Exegetarum ingenia animadvertunt, quod illi, qui præter & extra Christum salvari cupiunt, non unum aliquem peregrinum, sed multa idola (ita plurimi volunt) sectantur, reliquis adhuc figuris *ENALLAGEN* novam addunt, qua Singularis אֶחָד loco Pluralis אַחֲרֵיהֶם positus creditur, ut habeant multos peregrinos, quos, veri Dei loco, idololatraz sectantur. Nostra vero sententia hos scopulos omnes vitat, Ebraice docto ignotum non est, quod *Futurum* in imprecationibus Conjunctivi Præsens exprimat. Nec hoc negabunt, meliores Exegetæ, quotquot hoc quidem loco non predictionem, aut etiam præteriti actus recensionem, sed maledictionem contineri fatentur. Nemo proinde horum dicet, me h. l. Enallagen *Futuri* pro *Præsenti* credere, cum Ebraei Præsenti proprie loquendo destituantur, & quidem non immerito, uti *Cel. D. D. V. E. LÖSCHERVS in Causs. L. E. p. 397.* docet. Quoad vocem עֲצוּבוֹת cum *GEIERO*, & qui cum eo, plane idem sentio: nil itaque addere teneor. Vocem autem אֶחָד mea expositio absque dubio simplicius interpretatur, quam alia. Nullam de Enallaga suspicionem mea opinio fovet. Judæi loquentes unicum tantum Subjectum intelligunt, quod אֶחָד *peregrinum* vocant. Peregrinum & alienum Christum appellant, cum respiciunt ad Deum, quem ipsi suum putabant dominum: volunt nempe, Christianos, Christum colentes, peregrinum & alienum Deum contra *Præ. I.* colere. Ex historia etiam Evang. patet, quod ob nomen filii Dei, & quod Deum se dixerit, omnium maxime sæviverint. Sic itaque alienum sequi ipsi videntur Christiani Deum. Ob Christi enim

enim nomen & doctrinam Judæis adeo execrabiles habebantur, Nec difficultatem nobis creat, quod videtur אשר vel aliud vinculum, deficere. Nil deficit. Nec ex mea expositione אשר deesse posset, quia verba אשר מרר subjiciuntur, non sensu specificativo, ut determinent, quinam sint, qui multiplicatos dolores sentire deberent, sed sensu reduplicativo, vel causali, causam aperiendo, quare dira illa merito pati debeant. Nam Subjectum, cui execrationem illam impingunt, jam b. 3. satis graphice est depictum: foret propterea Pleonasmus, & inconueniens tautologia, si idem Subjectum h. l. iterum delinearetur. Causam autem addi, necesse est. Hæc vero sine interveniente Particula causali ponitur, ut in stylo affectuum plenissimo solet: quo ipso ira & affectuum fervor denotatur: *Multiplicentur eorum dolores: alienum sectantur!* Aliene vero hæc vertunt LXX. μετά τὰυτὰ ἰταχονάσιν quia אשר, non אשר נא legerunt. Ita & Arabs & Æthiops. Pejus STRVS.

III. Ad decretum excommunicatorium ipsum descendere jam licebit. Excludit hos Christianos a communione Ecclesiastica eo penitus modo, ut nullam ipsis peccati remissionem concedere velit: excludit quoque ab officio precum, aliorumque humanitatis communis beneficiorum. Beneficia N. Ecclesiastica eis eripit, quo peccata eorum nullo queant modo expiari. Hoc exhibent verba: אשר נסכיחם מים בן non effundam effusionem eorum, quæ sanguine constat. Expiationem peccatorum in Ecclesia Judaica per sanguinem solum fieri potuisse, testis est omni exceptione maior Paulus EBR. IX. 22. Princeps vero inter reliquas sanguinis effusiones erat illa anniversaria, cum die expiationis S. Sacerdos sanguinem expiatorium in S. Sanctorum ferret. Præter hanc vero & omnes impuri sanguine ad altaris cornua adperso, & reliquiis in foramina effuso, mundari debebant, si beneficiis Ecclesiasticis frui vellent. Si

ergo h. l. Ecclesia Judaica omnem sanguinis mundationem & beneficium expiatorium eis plane eripit: omnibus beneficiis Ecclesiae suae ipsos privat. Plenarie itaque per hæc verba ex communione veræ, ut sibi adhuc videbatur, Ecclesiae, eos exclusos voluit. Omnium convenientissime hæc de Ecclesia Judaica exponimus. Apud Exegetas in confesso est, phrasin hanc esse rituales, & Ecclesiae Judaicæ propriam, quare & illi, qui Messiae hæc verba tribuunt, addere solent, Messiam h. l. sub schemate S. Sacerdotis Levitici, ut Spiritualem Sacerdotem S. cum sanguine expiatorio, se sistere. Quod cum fateantur, ferias mihi faciunt, ut non sit necesse, hære in hoc ritu fusc deducendo, vel hac expositione multis probanda. Si enim nobis de Subjecto loquente conveniret, in phraseologia exponenda amica foret harmonia. Jam vero, cum quoad Subjectum loquens, ab invicem discreti simus, in phrasi tamen eatenus convenimus, ut illi metaphoricum solum dicant S. Sacerdotis officium, quod ego propriissime sumo. Ipsi enim officium Christi per Metaphoram usitatam dicitur, officium S. Sacerdotis in Judaica Ecclesia: & de officio hoc in Judaica Ecclesia expiatorio & omnibus dein ab eo dependentibus beneficiis Ecclesiasticis, ego hæc proprie & absque tropo intelligenda puto. Inde colligere quisque poterit 1), quod mea, ut proprie voces accipiens, præferenda sit sententia illi, quæ per Metaphoram hæc solum accipit: 2), quod, vi præcedentium, mea quoque prærogativam sibi poscat, & ideo leges bonæ interpretationis postulent, ut h. l. propria expositio, vel ob connexionem illam expetatur, quam ea, quæ nec bene connectit, nec proprie exponit. 3) Omnium maxime me movit, cum hæc excuterem primo, quod verba h. l. exstantia, secundum sententiam vulgarem totum officium Christi sacerdotale exhibeant, & quidem non ratione applicationis, sed præstationis t. t. adhuc futuræ. De hoc vero ratione præstationis dici


ac-


nequit, quod impios, sive Judæos, sive omnes, excludat, quia pro omnibus Christus & fuerit mortuus & quoque intercedat apud Patrem, ita quidem ut in N. T. claras eius preces pro impiis habeamus *LVC. XXIII. 34.* quod & de eo prædicitur *IES. LIIL 13.* Verba itaque hæc de Christo exposita, Theologi nostri docent, non ratione acquisitionis & præstationis, sed ratione applicationis, hic intelligenda esse: & sic quidem, si de Christo accipitur, exponere hæc jubent loca & V. & N. T. alia & claritate & numero vincentia. Et hac responsione Particularistis satisfieri, non nego, quoniam ipsimet fateri coguntur, locum unicum & non adeo clarum, secundum analogiam scripturæ ex locis clarioribus exponi velle. Et quamquam non sine aliqua specie inferri possit, non dici h. l., quod impii non frui debeant oblationis Christi fructu, sed quod ille nec pro illis offerre, nec orare velit: ut videatur a literæ abire, qui ita exponit. Tantum tamen abest, ut vel ego, qui hanc expositionem non tueor, oppositioni adversariorum robur inesse credam, ut potius secus putem. Nam observandum est a), quod h. l., vel ipsis Particularismi Patronis forte non dissentientibus, sermo non sit, de impiis omnibus, etiam de iis, qui deinde convertuntur, quippe etiam sancti hic nominati ante conversionem tales fuerunt; sed de finaliter impiis. Hoc dabunt, quia & de solis reprobatis hæc accipere volunt. Hoc vero admisso ß) largientur, actionem h. l. recenseri voluntatis Christi & Dei consequentis; ad quam non meritum Christi, sed executio iudicii, ob hoc vel fide apprehensum vel spretum, pertinet. Itaque γ) secundum voluntatem consequentem & judicariam ipsis officium mediatorium suum concedere non vult, ut post latam sententiam condemnatoriam ipsis meriti sui fructum imperari & pro illis orare velit. Mea vero δ) expositio omnem Particularistis ansam præscindit, aliquid contra veritatem ex h. l. excipiendi.


piendi. Si enim h. l. non dicitur, quid Christus velit, sed quid impia Judaica Synagoga de pijs Christianis constituerit: ne vel species ulla est, qua pro Particularismo hæc allegari queant.

IV. Constituto sic sensu in genere, necesse non est, verba hujus anathematis paulo curatius considerare, licet in eorum expositione non omnes æque conveniant. Et hæc quidem, quæ Christianos a beneficiis Ecclesiæ Judaicæ summis, imo omnibus, excludunt, jam n. iii. exhibui. Hæc *CHALDÆVS* vertit: *לֹא אֶכְלֶה בְּרֵעוֹ נְסוּכָהוֹן וְרֵם קֹרְבָנֵיהוֹן* i. e. *non accipiam cum beneplacito libamina eorum, nec sanguinem oblationum eorum.* *SYRVS* vero brevius de una oblatione solum accipit h. m. *לֹא אֶכְלֶה בְּרֵעוֹ נְסוּכָהוֹן וְרֵם קֹרְבָנֵיהוֹן* *non libabo libamina eorum.* *ARABS* contra: *لَا أَتَّبِعُ مَعَ إِسْرَائِيلَ* *Ego non conveniam cum turbis ad sanguines.* Sed hic sua, ut alias fere semper, habet e *LXX.* qui ita: *ὅτι μὴ συνάγω τὰς συναγωγὰς αὐτῶν ἐξ αἱμάτων.* Quæ non solum *ÆTHIOPS* sed & *VVLGATVS* sequuntur. Liquido patet, quod dicatur, nolle Judæos, ut suis sacris peccata Christianorum expientur. Et in præsens negotium quadrat, quod *R. BARTENORA Comm. ad Cod. חורין c. 2. Misch. 7.* ex ipso hoc versu colligit, quod nemo sanguinem sacrificii alicujus *עֲבוֹרָה* seu gentilis offerre vel spargere debeat. Quod vero verpi & nos inter *עֲבוֹרָה* referant, alias patet.


V. Preces tandem ipsis denegant, h. m. *וְלֹא אֶשָּׂא שְׁמוֹתָם עָלַי* *nec feram nomina eorum labijs meis, s. eloquar.* Hæc primario quidem de exclusionem a precibus, & secundario a conversatione, ut accipiam, generalitas phræseos facit. Hæc est conjectura mea, de qua docti æquum ferant judicium.











the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 011

ua nec peccatores tolerari, nec reprobi  
quidem Diaboli vel ad momentum sub-  
rum omnis viarum Dei ratio sive in exer-  
dia sive in demonstranda iusticia in di-  
arum divinarum foedere jam ab æterno  
decreta fuerit.

XLIX.

eritur hîc; Cur Filius Dei in specie Novi  
r dicatur, cum tamen sponsor jam fue-  
Pacis Consilio, & à Veteribus jam tan-  
nitus fuerit? Huic quæstioni occasio-  
cinianorum Error, qui qualemunque  
ti virtutem ad sola Novi Test tempora  
locus Hebr. 7. v. 22. ubi Christus voca-  
rñus ἐγγυος *melioris testamenti sponsor*, &  
br. 8. v. 6. κρείττονος διαθήκης μεσίτης *me-*  
*mediator*: at verò per κρείττονα διαθήκης  
m hîc intelligi nullum est dubium, quod  
post Christi demum τελέωσι exequen-  
tm Nos respondemus, quòd *melioris Te-*  
ignatè hîc dicatur Christus, non quòd  
e sponsor fuerit, non quòd non agni-  
t tanquam *Sponsor Testamenti æterni* in  
tiæ consilio: sed quia eo tempore &  
niversum Dei propositum justificavit  
quoque confirmavit & justificavit eam  
partem, quæ signatè quoque *Novi Testa-*  
signatur. Ita γεγενη factus est Filius Spon-  
i, qui jam sponsor erat omnis Testa-  
virtute æternæ sponsionis necesse erat, ut  
*Sponsor Novi Testamenti*: Quando Je-  
st, non ideò ab æterno non fuit, *Qui Sa-*

G 2

cerdos

56.